

stram si possumus , & alienam defendere , & servare , Alexander solus fuit [provt loquitur Dionysius, Chrysostomus, philosophus, & orator pag. 2. n. 29. oratione 4. de Regno ] solus inquam fuit Alexander Macedonum rex , qui non passus est alios a se hono rari ; ego non ita ; omnium doctrinam patefacere vellem , & si aliquando videar contrarius alijs scire debet vnuſquisque quod opposita iuxta se posita omagis elucescunt , sic erit aliorum doctrina meæ opposita : obiter dixi in laudem virtutis , quæ sicut palma , quo magis se profundat in terris , eo magis eleuatur ad cœlum .

22 Obijcies nihilominus pro Thomistis meis dilectis , obiectum physicæ aut est corpus mobile , aut ens mobile ; non pri mum ; ergo secundum ; maiorem certainam supponunt , minorem ostendunt ; obiectum cuiusvis scientiæ , inquit ipsi , & bene , supponitur ab illa ; at corpus mobile a physica non supponitur ; ergo non est eius obiectum , physicus namque probat illud esse ; ergo non est obiectum physicæ ; cum itaque nihil aliud remaneat quod tale munus exercere possit præter ens mobile , hoc as terendum est esse obiectum physiologicæ .

Respondeo negando maiorem ; neque enim corpus mobile neque ens mobile esse potest obiectum physicæ , vt dixi , quod etiam si concederem maiorem non distarem a veritate intelligendo de ente simplici , & simplici corpore , videlicet de elementis ; ipsa enim elementa prout sunt natura in rigore , & per consequens principium motus , & quietis , idest generationis , & corruptionis , atque rationis physicæ per se , & immediate , corpus namque vt sic , numquam principium motus physicæ esse potest , sed potius terminus talis motus , sicut homo & anima rationalis , non sunt principium rationalitatis , vt unitæ , sed rationale , vnde ruit tota eorum difficultas .

23 Instabis . Aristoteles 3. physicorum textu 6. , ait , motus est actus entis in potentia prout in potentia , non autem dicit corporis simplicis ; ergo ens mobile est obiectum physiologicæ , non autem elementa , vt dictum est in responsione antecedenti .

Respondeo , concedo antecedens , & nego consequentiam , hoc nunquam argumentum non concludit contra me , non enim sum discipulus Aristotelis , sed veritatis ; si enim Aristoteles dixisset , motus est actus entis simplicis in potentia ad unionem , vel dissolutionem , bene dixisset ; nam ipsa elementa sunt prima principia naturalis corporis , vt dicam infra , cum de principijs corporis naturalis .